Fallon

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

STRUMIS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

STRUMIS.

Fallon (J.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE STRUMIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FALLON A. M. HIBERNUS.

Ad diem 19 Septembris, hora locoque solitis.

Sic ut quimus, quando ut volumus non licet.
TERENT. *in And.*

Fallon Genl's Office
LIBRARY
354 06
Washington, D.C.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVIII.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

STRUMIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS COWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE, ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

AUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES VALLOP, A.M. Hibernus.

Ad diem 19 Septembris, horis locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL.

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCLXIII.

PATRI SUO

JACOBO FALLON,

SUMMA PIETATE VENERANDO,

JOANNES FALLON;

S.

QUUM vitae integritatem, amorem, et benevolentiam, quibus liberos, cognatos, amicos, imo et universum hominum genus, complecteris, mecum reputarem; haud ita diu haerere licuit, cujus nomen huic Dissertationi potissimum praescriberem. Tibi ergo, Pater optime natura, animo, et consiliis; tibi, cui omnia, secundum DEUM *optimum maximum, debeo, hosce meos primos labores, animi grati monumentum, ea pietate qua par est, offero.*

PATRI SUO

JACOBO FALLON,

SUMMA PIETATE VENERANDO,

JOANNES FALLON,

CUM vitæ integritatem, innocuos, crebræ recolendæ, quibus libros, ornavit, cordi, tuo et individuum consortium gemmas, cleri placeret, maxime reputaret; haud aliquid Ecclesiæ Iesu, cujus nomen dare Dilectissimum præ[illegible]. Tuis ergo, Pater, [illegible] Deum optimum [illegible] hoc meos primos labores, omni grati [illegible] mentum, ea pietate qua [illegible]

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE STRUMIS.

DEFINITIO.

§ 1. TUMOR glandularum lymphaticarum multiplex, indolens, plerumque mobilis et circumscriptus, colorem cutis incumbentis non (in initio saltem) mutans, modice durus, a vitio quodam lymphae peculiari ortus, *Struma* vulgo vocatur (*a*).

A HÆC

(*a*) In Manuscripto quodam Auctoris anonymi, cujus auctoritatem magni facio, manibus studiosorum hujus Academiae frequenter versato, inter alia, quaedam de Strumis occurrunt. Quoties aliquid ex eo mutuatus fuero, literis M. S. notabo. Hoc autem necessarium duxi, ne quis me eruditam Dissertationem medicam inauguralem D. Roberti Ewart, de Scrofula, Edinburgi, anno 1749, impressam, vel Principia Medicinae a Francisco

Hæc definitio Strumam, qualem antiqui Medici Græci et Latini deſcripſerunt, ſolam comprehendit; nam noſtris temporibus et regionibus, homines Strumoſi eſſe aliquando dicuntur, licet nullus tumor hujuſmodi a Medico deprehendi poteſt (*b*).

A Celsi temporibus ad hanc aetatem, numeroſas hujus mali definitiones propoſitas invenio: Harum vero pleraſque, aut anatomiae imperitia; aut morbi ipſius parum attenta conſideratio; aut hypotheſiôn, quas quiſque ſibi de cauſa vel ſede morbi finxit, fallacia; adeo a natura alienas effecerunt, ut omnino indignae ſunt quae hîc repetantur: Paucas tamen quodammodo notatu dignas, ſuis locis conſiderabo.

NOMINA.

§ 2. Strumae χοιραδες ab Hippocrate dicebantur (*c*). Morbus a Galeno dictus eſt ἡ χοιρας.

Franciſco Home, ibidem edita, anno 1758, nominibus celatis, compilâſſe putet. Hoc Manuſcripto enim uterque uſus eſſe videtur, neuter vero citavit. In hoc ſic definitur Struma: "Tumor multiplex, glaber, cuti concolor, durus, ſcirrhum "fere referens, diatheſi pituitoſa conjunctus, in ulcus mali "moris degenerans, Struma vocatur."

(*b*) Ideoque in ſequentibus *Struma* erit vox generica, cujus affectiones ſpeciales, ſpecialibus nominibus inſignientur.

(*c*) Ut in Aphoriſmorum ſect. 3. N° 26. aliiſque locis.

ἡ χοιρας (*d*). AETIUS aliique Medici, qui post GALENUM de hoc morbo Graece scripserunt, idem nomen habent. HIPPOCRATES Strumas quoque vocat φυματα χοιρωδεα (*e*). Hinc Strumae nonnullis *Chaerades* appellantur, et hinc verba chaeradica et anti-chaeradica (medicamenta, scil.) facile intelliguntur.

NOMEN Graecum a porcis desumi inter Medicos convenit; nam χοιρας *porcam*, *scrofam*, vel *scrofulam*, inter Graecos significabat. Rationes vero sequentes proponuntur, 1mo, Quod porci hoc morbo multum infestari credebantur. Hanc rationem AETIUS (*f*), PAULUS (*g*) AEGINETA vulgo dictus, ACTUARIUS (*h*), &c. attigere.

HAEC ratio eo probabilior est, quod "Quidem "morbi glandularum frequentiores sunt, et ad "majorem ακμην procedunt in his (suibus) quam "in plerisque aliis animalibus (*i*)." "Multum "accidunt (Strumae) porcis, propter gulositatem "eorum;"

(*d*) Ut in comment. ad Aphorism. Hippocr. jam citatum, aliisque multis locis.

(*e*) Vid. Prorhet. lib. 2. in edit. Foaesii, p. 95.

(*f*) Tetrabibl. iv. sermo 3. cap. 5.

(*g*) De re medica, lib. vi. cap. 35.

(*h*) Medicus, lib. ii. cap. 12.

(*i*) Russel de Tab. glandularum, p. 16.

" eorum ;" inquit AVICENNA (*k*). 2do, Quod Strumae aliarum Strumarum feraces putabantur, ſicut ſcrofae prolem numeroſam gignunt. Haec quoque AETII conjectura eſt. " Ab unico " quippe tumore" (inquit ACTUARIUS) " etiam " aliae (Strumae) quandoque enaſcuntur." " Re- " centiores Scrofulas appellare maluerint, ſcrofarum " faecunditati execrabili ſimiles :" Sunt verba ALEXANDRI BENEDICTI (*l*). 3tio, Tertia ratio eſt, (quae quidem nulla eſſe videtur) quod " figurae " Strumarum ſecundum plurimum aſſimulantur por- " cis (*m*)." 4to, Quarta vix melior eſt, quam PAULUS propoſuit, ſcil. nomen deſumi a chaeradibus petris, (nam inter Graecos χοιρας quoque petram in mari eminentem, et porco natanti ſimilem ſignificâſſe videtur).

STRUMA quoque vulgo dicitur *Scrofula*. Qui fuerunt hujus appellationis primi Authores haud ſcio. Inter purioris latinitatis Scriptores hoc nomen nondum vidi. Vulgo ſed male ſcribitur Scrophula (*n*).

Ex

(*k*) Canon. Medicin. lib. iv. Fen. 3. tract. 2. cap. 2. de Scrofulis.

(*l*) Vid. Alexand. Benedictum de re medic. lib. iii. cap. 32. p. 95. edit. Baſileae, an. 1545.

(*m*) Sic dixit Aviçen.

(*n*) Sic dixit eruditiſſimus M. S. auctor.

Ex hoc Scrofulosus, Anti-scrofulosus, aliaque verba ejusmodi derivantur.

STRUMA, uti olim inter Latinos erat nomen hujus mali unicum, sic hodie inter Medicos frequens est. Struma cultiore latinitate florente apud Auctores erat prominentia quaedam praeternaturalis e corpore hominis excrescens, uti sequentia evincunt. Sic enim CATULLUS,

Quid est, CATULLE, *quid moraris emori ?*
Sella in Curuli Struma Nonus sedet.

Sic CICERO, " Denique etiam Vatinii Strumam " sacerdotii διβαρω vestiant." Sic iterum pro SEXTIO agens ; " Ii medentur reipublicae, qui " exsecant pestem aliquam tanquam Strumam ci- " vitatis." Sic canit JUVENALIS (o),

Nec praetextatum rapuit NERO *loripedem, nec*
Strumosum, atque utero pariter gibboque tumentem.

Unde in Chiliad. sic scribitur : " Strumam di- " bapho tegere, est infamiam dignitate aliqua " obliterare." PLINIUS secundus, VITRUVIUS, COLUMELLA, et SCRIBONIUS quoque nomen habent ; et nunc in sensu jam explicato utuntur ; nunc vero cum CELSO pro morbi nostri appellatione usurparunt.

Quae

(o) Satyr. x. 309.

Quae sit origo nominis Strumae haud facile dictu est (*p*). Quod nomen autem alii prominentiae cuivis imposuerunt, id Medici prominentiae peculiari Strumae scil. appropriarunt (*q*). Ex dictis intelliguntur verba strumosus, strumaticus, Anti-strumaticall (vox barbara Graeco-Latino-Anglica) et similia.

Marcellus Empyricus (*r*) diminutivum nomen Strumellae habet, uti alii Strumulae. Nomen Strumae, utpote vere Latinum, retinebo.

In lingua nostrate Hyberna optimum omnium invenio nomen, *Asvy Brawd*, quod idem est ac si diceres *Impedimentum Colli*; eo, scil. quod Struma, ut plurimum, in collo est. Quando enim per alias corporis partes vagatur, tunc eâdem linguâ dicitur *Shule la na fina*, hoc est *Opprobrium Medicorum*.

Struma vocatur Anglice, *The King's-evil*, eo quod reges quidam Anglici vel Gallici hunc morbum solo manuum tactu, ceremoniis quibusdam comitantibus, fugare credebantur. Ex hac origine venit nomen, *Malum Regium*, quod alii praeter

(*p*) Non enim video cur Struma a struendo; quia structim quasi ascendit, vocaretur; et mera conjectura est Strumam απο τυ στρωματος, *stratum* significante, derivari.

(*q*) Tamen Gibbus sub Strumae appellatione apud Alexandrum Benedictum describitur.

(*r*) Lib. de medicam. cap. 15.

ter Anglos et Gallos, huic morbo imponunt. Imo aliquando dicitur *Morbus Regius*, ſed male, quoniam hoc quoque *Ictteri* nomen eſt. Vocatur aliquando Anglice ſimpliciter, *the Evil*, aliquando *the Running Evil*.

APUD Scotos, *Crouells* vocatur, quod nomen venit ab *Ecrouelles* Gallorum.

DICITUR Strumas inter Americanos *Yatos* vocari (*s*).

SUNT qui diſtinguunt inter Strumas et Scrofulas, ſed nullo certe jure, quod vel ex eo liquet, quoniam aliquando quod hic Strumam vocat, ille Scrofulam appellat; et quod ab illo Scrofula, ab hoc Struma vocatur.

AETAS.

§ 3. QUAE mox ſequuntur mihi perſuadent, 1mo, Nullum vitae ſtadium a Strumis omnino liberum eſſe. 2do, Pueritiam frequentiſſime infeſtari. 3tio, Homines poſt pueritiam quo adultiores, eo minus morbo huic obnoxios eſſe, ita ut in ſenectute raro videtur malum. 4to, Infantes recentiſſime natos raro tentari Strumis; quo vero propius ad pueritiam accedunt, eo magis huic morbo

(*s*) R. Ruſſel. ibid. p. 214.

morbo obnoxios esse. WISEMANNUS (*t*) narrat se vidisse tumorem strumosum (imo glandularem) in infante recenter nato; sed dubitari potest an tumor hicce, ex historiae enarratione, strumosus erat. Utcunque ill. CULLENUS dicit, se vidisse infantem, vix trimestrem, Strumis laborantem. Dicebantur infantes a rege (CAROLO secundo) Angliae, Strumis liberari, antequam eorum mens pompa regali affici potuisset (*u*). Anno aetatis primo, altero, et tertio, Strumae apparent, uti patet, partim ex historiis WISEMANNI; hoc autem mihi vir in praxi medica versatissimus confirmavit.

IMMORTALIS HIPPOCRATES (*w*) primus nos docuit Strumas pueros praecipue tentare; rarius pueros grandiusculos et adolescentes; viros non admodum (ὑ κάρτα); senes vero nunquam. Idem iterum in Aphorismis (*x*) repetivit, Strumas pueros praecipue infestare; hoc est secundum GALENI Commentaria, ab illo tempore quo dentitio desinit, ad annum duodecimum vel tredecimum. Ea quae ex HIPPOCRATIS προρρητικοις citavimus, ex historiis Strumosorum a WISEMANNO memoratis,

(*t*) Several Chirurgical Treatises, by Richard Wiseman, Lond. edit. an. 1676. in folio. Vid. lib. iv. quem totum tractandae Strumae insumpsit, p. 258.

(*u*) Vid. Wisem. p. 247.

(*w*) Vid. προρρητικων βιβλ. β. Foaes. p. 95.

(*x*) Aph. 26. lib. iii. Aphor.

ratis ad amuſſim confirmantur. WISEMANNUS enim hiſtorias narrat quinquaginta et duorum circiter (x) Strumoſorum, qui pluſquam duos annos nati erant, quorum triginta et unus infra annum decimumquartum fuerunt; tredecem qui annum tredecimum praetergreſſi, ad annum vigeſimum quintum nondum attigerant; ſeptem vero qui annum vigeſimumquartum ſuperaverant, trigeſimum-ſextum tamen nondum compleverant; unum caſum, mulieris Strumoſae quadraginta annos natae, habet. Poſt quadraginteſimum vero annum nullum habet Strumae caſum. DE GORTER quidem in comment. ad Aph. HIPPOCRATIS jam citatum, dicit, ante aetatem ſeptem annorum, in hominibus, minus frequentes conſpici hos tumores glandularum. Huic vero refragantur hiſtoriae WISEMANNI.

IN feminis circa pubertatem, menſibus non rite prodeuntibus, ſaepe proſiliunt Strumae, monente CULLENO. Aetate provectioribus rarius contingit hoc malum, uti LOMMIUS (y) docuit, et ex hiſtoriis aegrorum WISEMANNI patet. Con-

 ſentit

(x) Dico circiter, quia numerus accurate vix definiri poteſt. Ille enim nonnullos ſtrumoſos dixit, quos ego ex hiſtoria tales non eſſe exiſtumans, e calculo omiſi. Pauciſſimos ante aetatem trium quatuorve annorum memorat; nec ullum ſtrumoſum infra hanc aetatem unquam vidi.

(y) Jodoci Lom. medicinales obſervationes Edinb. an. 1752, edit. lib. ii. p. 313. vel 314.

ſentit quoque gravis M. S. Auctor. CULLENUS in Praelect. Clinicis dixit, ſe vidiſſe quamplurimos ſtrumoſos, pleroſque ante annum trigeſimum, poſt vero pauciſſimos. Virum tamen ultra quinquaginta annos natum, ſtrumoſum vidit idem. Hîc ab HIPPOCRATE parum recedamus oportet, qui dixit Strumas ſenibus nunquam accidere. Nam LOMMIUS concedit ſenibus aliquando, raro quamvis, Strumas accidere. HILDANUS (*b*) memorat caſum viri ſeptuageſimum annum aetatis praetergreſſi, qui a juventute Strumâ laboraverat. Septuagenariam quandam jam curo, quae duos tantum ab hinc annos Strumâ laborare coepit.

§ 4. IN utroque ſexu aeque frequens eſſe videtur Struma. Saltem hoc ſuadent hiſtoriae WISEMANNI. Quamvis DE GORTER obſervat tumores ſtrumoſos in puellis (ſi recte memini) ante ſeptimum aetatis annum, rarius quam in pueris, videri.

REGIONES ET LOCA.

§ 5. DE his brevis ero, quoniam aliorum obſervationes in auxilium adferre non poſſum. Nam praecipui

(*b*) Obſerv. Chirurgic. Centur. iii. p. 216. obſ. 34.

praecipui de his Auctores, aliter ac ego de Strumis ſentire videntur; ideoque eorum obſervationes hîc omittendae ſunt.

In Arabia, Graecia, et Italia, Strumas extitiſſe, harum regionum Scriptores teſtari videntur. Celsus (*c*) refert malagma ad Strumas ab Arabe quodam concinnatum. Russel narrat caſum indigenae Jaimaicae qui Struma laboraverat (*d*). Struma videtur per totam Europam vagari, ſaltem nullas accuratas obſervationes mihi contigit vidiſſe, quibus conſtaret ullam in Europa nationem Strumis prorſus immunem eſſe (*e*). Quae vero nationes Strumis maxime obnoxiae ſunt, nondum experimentis certis confirmatum comperi. In Hibernia et Scotia egomet morbum vidi: In hac quam in illa frequentiorem eſſe, ex iis qui in utraque regione diu vixere, accepi. Riverius non dubitavit dicere, Strumas in Hiſpania epidemicas eſſe. Quoad loca nihil habeo; de his enim Auctorum obſervationes ſibi mutuo adverſantur, uti citationibus indicare poſſem.

Est

(*c*) De re medic. lib. v. cap. 18.

(*d*) Ibid. p. 133.

(*e*) Heiſterus quidem (in Inſtit. Chirurg. in capite de Strumis) aſſerit, quaſdam nationes Strumis nunquam tentari. Sed de hoc dubitandum eſt, donec nationes indicaverit, et authoritatem qua aſſertio nititur, dixerit.

Est quod putem urbanos in Scotia saepius quam rusticos Strumis tentari.

TEMPESTAS.

§ 6. "Vere novo praecipue apparet Struma, "ad cujus finem continuatur; et si dissipari possit, "id in aestate sub solstitium aestivum fiet (*f*)."

TEMPERAMENTUM.

§ 7. Homines phlegmatici, plethorici, et fibras laxas habentes, prae aliis, huic morbo obnoxii sunt, uti sequentia suadere videntur. Struma dicitur ab Hippocrate (*g*) oriri απο του φλεγματος (frigido procul dubio). Galenus dixit χοιρας ειναι κακοχυμου πληθους εγγονα νοσηματα (*b*). Avicenna observavit, "Illos, qui complexiones "humidas

(*f*) Sic in Prael. Clin. cl. Cullenus, quod ulterius confirmatum vidi in viro, cui Strumae in collo subsilierunt tribus successivis annis, semper autem vere incipiente: Autumnis vero sequentibus semper sanabantur scil. ad cicatricem perducebantur. Mense Januario post tertium autumnum accessit febris intermittens, quotidiana, quae in tertianam, et tandem in sanitatem, sine cortice Peruviano, desiit. Post hanc febrim per tredecim annos a Struma liber evasit.

(*g*) Lib. de affection. Vid. quoque lib. de glandulis.

(*b*) In comment. ad Aph. 26. sect. 3. Aph. Hipp.

" humidas habent, Strumis vehementius ex-
" poni (*i*)." Inter ſtrumoſos multos phlegmaticos, et plethoricos memorat WISEMANNUS. Author M. S. dicit Strumas infeſtare fibras laxas habentes, pueros debiles praecipue, et illos in quibus humores pituitoſi praedominantur. Quae jam diximus ulterius confirmantur; quod aetas puerilis in qua fibrae maxime debiles eſſe dicuntur, prae aliis, infeſtatur; et quod illi, qui capillos albidos, flavos, vel rufos habent, magis quam alii, huic morbo, meipſo obſervante, obnoxii ſunt, phlegmaticorum vero capita hujuſmodi capillis ſaepiſſime ornari dicuntur. Fatendum tamen Strumoſos caetera ſanos et ſatis robuſtos dictos eſſe a WISEMANNO (*k*): Et QUINCY (*l*) dicit, homines tum corpore tum animo fortes, laute veſcentes, et alias ſanos Strumis ſaepe laborare. Haec tamen non multum valent contra ea quae propoſuimus; quoniam, 1mo, Singularia ſunt; 2do, Quod non ſemper facile eſt temperamentum, habitum, vel plethorae praeſentiam in aegro cognoſcere; 3tio, Quod labes ſtrumoſa a patre, vel nutrice derivata, in corporibus alias ſanis effectus ſuos edat. Penes autem obſervationes accurate ſumptas arbitrium ſit.

MORBI

(*i*) L. c.
(*k*) Ut in pag. 265. obſ. 2. et aliis multis locis.
(*l*) Medecin. Static.

MORBI PRAECEDENTIA.

§ 8. SUNT phaenomena quaedam quae ſaepe Strumas praecedunt; ſequentia praecipua ſunt, ita tamen ut non omnia ſimul vel ſemper ante Strumas compareant, imo aliquando eorum nonnulla non prius ſe produnt, quam ipſa Struma formatur.

ALIQUANDO facies tumore molli, diffuſo, indolente, veſtigium digiti impreſſi non retinente, inflatur; quod ex ſequentibus colligere licet. Forte haec faciei conditio erat GALENO obſervata, quum diceret Strumas eſſe πληθους εγγονα νοσηματα. Huc pertinet quod AVICENNA de humidis complexionibus dixit. Author M. S. monet, inflationem faciei ſaepe Strumas praenuntiare. In aegra ſtrumoſa quam ipſe vidi, facies inflata erat tumore qualem deſcripſimus.

INSOLITAM cutis faciei glabritiem et tenuitatem habitum ſtrumoſum indicare, CULLENUS nobis in Prael. Clinicis tradidit.

COLOR faciei aliquando floridus, roſeus, vel lividus, ante Strumas, aliquando apparet; ſcil. rubor in genis praecipue; livor vero verſus oculos lateraque naſi, conſpicitur (*m*).

LABRA ſaepe (ſed praecipue ſuperius) tumore molli indolente, non circumſcripto, nec oedematoſo,

(*m*) Haec partim ex Man. ſcrip. partim e Culleno habui.

toso, fissuris saepe diviso, elevantur. Hoc quod ex WISEMANNO didici meis oculis vidi. Accuratissimus CULLENUS in Praelect. Clin. dixit hoc phaenomenon inter certissima Strumarum praenuntia esse.

LABRORUM tumorem ipse vidi naso communicatum; unde alae nasi crassitie auctae narium cavitates angustabant; nares vero pene omnino oppilatae erant, ob crustas flavas lemosas in iis tunc temporis formatas. WISEMANNUS dudum eadem descripsit.

AVICENNA (*o*) scripsit, "Homines curta habentes colla, vehementius expositos esse ad habendas Scrofulas in partibus colli et capitis." Hunc sequutus est LOMMIUS (*p*). Quid de hac re censendum? Forte error est ex eo natus, quod ii, quibus Strumae in collo sunt, (qui locus est quoque ab AVICENNA memoratus; nam Sruma in capite rara est) colla retracta retinere coguntur. LOMMIUS (*p*) praeterea addit, "Accidere Strumas pueris, praecipue si his pressa tempora et largae maxillae." Nec haec observatio a natura omnino aliena esse videtur; quoniam rhachitici, quibus saepe pressa tempora et largae maxillae sunt, adultiores facti, haud raro Strumis obnoxii

(*o*) L. c. (*p*) L. c.

obnoxii ſunt: Hoc autem me acutiſſimus CULLENUS monuit.

TORMINA ventris ſingularia, anomola, ſine manifeſta cauſa recurrentia, dejectionibus alvi non comitata, medicamentis vulgo ad tormina adhibitis minime cedentia, ſaepe Strumas antecedere dicuntur (*r*). Hujus unum vidi exemplum. QUINCY (*s*) ait vivacitatem mentis inſolitam, et intellectus perſpicacitatem, Strumas ſaepe praecedere. Nec ſine cauſa haec obſervatio nata eſt, uti me monuit Medicus in praxi diu verſatus; niſi PARACELSO iſtae medicinae Strumae auſcultare velimus, dicenti Strumas in ſtultis, cum aliis deformitatibus, eſſe frequentiſſimas. PARACELSUM vero, una cum ſuis obſervationibus, omnes boni Medici dudum exſibilarunt (*t*). Quicunque omnia vel pleraque haec phaenomena, aut Strumas ipſas habet, is habitu Strumoſo eſſe dicetur.

TUMOR GLANDULÆ STRUMOSUS.

§ 9. TUMOR jam deſcribendus eſt Struma genuina, qualem Graeci, Latini et Arabes delineatam nobis

(*r*) Ab Authore M. S. (*s*) Medicin. ſtat.

(*t*) In philoſoph de generat. ſtultor. Vid. Dolaei Encyclopaed. chirurg. p. 609. Addit quoque Paracelſus Strumoſos magis ad maniam, quam ad intellectus temperantiam pronos eſſe.

bis reliquerunt. Sic vero incipit: Glandulae quaedam lymphaticae simul tumere deprehenduntur. Raro enim unam glandulam solam intumescere, apud JOHANNEM DE GORTER, (*t*) legi, et ab Auctore M. S. viva voce accepi (*u*). Idem mihi dixit, Quod si forte accidat ut unica tantum glandula tumeat, tamen aliae vicinae cito afficiuntur. Fit tumor in principio minimus (*x*), cutim vix elevans (*y*), nec ejus colorem mutans (*z*); digitis vero Medici exploratus, multiplex, mobilis (*a*), circumscriptus (*b*), modice durus (dum parvus est), (*c*) et aequalis (si una tantum glandula affecta sit), sentitur; omnino autem indolens est, non tantum in initio, sed etiam aliquando cum molem spectabilem nactus sit (*d*).

PERSEVERANTE vero morbo, et increscente tumore, partibus vicinis cutique ipsi accrescit et adhaeret, unde fit immobilis; circumscribi vix

(*t*) In comment. ad Aph. 26. sect. 3. Aph. Hippocratis.

(*u*) Haec erat causa cur in definitione dixi Strumam esse tumorem multiplicem.

(*x*) Jacob. Lazerme curat. morbor. tom. 2. p. 136.

(*y*) De Gorter. l. c.

(*z*) Lazerm. l. c. et in M. S.

(*a*) Aetius l. c. dixit, Strumas elevatas mobiles esse, omnes vero consentiunt.

(*b*) Aetius et Lazerme, l. c.

(*c*) Aetius, l. c.

(*d*) Aetius dixit Strumas indolentes esse.

ulterius dici poteſt; nec ejus forma diutius accurate definienda eſt. Notatu digniſſimum eſt, tumorem aliquatenus mole auctum, aliquando (imo forte ſemper) non adeo durum eſſe, quin digito impreſſo quodammodo cedat; ita ut preſſione ablatâ, formam priorem recuperet, et elaſticus videatur; idque licet nulla maturatio anteceſſerit. Haec obſervatio inſignem utilitatem habet, uti poſtea patebit. Hoc eſt ſtadium formationis tumoris glandulae. Aliae Strumae parvae, aliae mediae, aliae magnae, aliae ingentes ſunt, docente AETIO (*e*), cujus minores Strumas invenerunt a magnitudine ſeminis ſeſamini (*f*), piſi (*g*), fabae (*g*), pyri (*i*), per varios magnitudinis gradus, donec tandem pugnum aequarent (*k*).

TUMORIS GLANDULÆ VARII EXITUS.

§ 10. TUMOR hicce deſinit vel, 1mo, In reſolutionem; vel, 2do, In inflammationem, et inde

(*e*) L. c.

(*f*) Tulp. obſ. medic. lib. 1. cap. 46. p. 88.

(*g*) Gliſſon. oper. vol. 2. anat. hepat. cap. viii. p. 113. ſcil. in hepate, et circa illud viſcus, glandulas vidit, an veras, vel an vere ſtrumoſas, haud certe ſcio.

(*i*) Wiſeman. p. 258.

(*k*) Tales in meſenterio invenit Paraeus, lib. 7. chap. 21. p. 175.

de in abſceſſum; vel, 3tio, In ſcirrhum, et quandoque exinde in cancrum. Quicunque vero ſit exitus, is tardus eſt plerumque, et longi temporis effectus: Nam longo ſpatio detinere Strumas CELSUS Auctor eſt. Huic exceptiones rarae ſunt, ſcil. aliquando tales tumores ſatis cito, imo ſpatio unius diei, evaneſcunt.

QUAMVIS ſeparatim de his tumorum mutationibus me agere cogit ordo; tamen tenendum haec ſtadia ſaepe, imo plerumque, ſibi invicem complicari. Sic, v. g. tumor, quando multiplex eſt, partim aliquando reſolvitur, dum alia pars matureſcit (*l*); partim aliquando matureſcit, dum alia pars dura, pallida et irreſoluta manet (*m*).

§ 11. IMO, *In reſolutionem.*] Reſolvi quandoque hos tumores, cum CELSO (*n*), totâque Medicorum turbâ, egomet teſtari poſſum. Hujus pulchrum exemplum habet WISEMANNUS (*o*), in quo tumor hujuſmodi (multae vero glandulae afficiebantur) ope medicamentorum diſcutientium, in tres deſiliiſſe viſus eſt; horum vero ſinguli iterum diſcutiebantur et evanuerunt.

Sed

(*l*) Wiſem. p. 266. (*m*) Id. p. 25.

(*n*) L. c. Vid. quoque ubi de malagmatibus ad Strumas agit,

(*o*) P. 265.

Sed quandoque hi tumores ab uno loco recedunt dum in alio resurgunt. " Modo a parte ad par-" tem transferuntur (hi tumores) modo a la-" tere in latus, modo a superioribus corporis par-" tibus ad inferiores, aut contra; modo ab ex-" terioribus ad interiores; vel, vice versa, modo " ab articulo ad articulum." Sic scripsit WHARTONUS (p). Celeberrimus ALSTON casum huc pertinentem mecum communicavit (q).

TUMORES hi, dum resolvuntur, iisdem phaenomenis quibus formabantur, sed contrario ordine sibi succedentibus, recedunt.

§ 12.

(p) Adenogr. cap. 40.

(q) Generosa quaedam satis sana ac vegeta, at viro in juventute strumoso, nupta; cum ex eo peperisset infantem unum alterumve, atque lactâsset, mariti contagio contaminari videbatur, collum enim tumoribus glandularum duris, ceu chaeradibus, magis magisque onerabatur. Variis incassum tentatis remediis—etsi satis delicatula, indecorum morbum per annos patienter toleravit. Tandem tussis sicca ac fera eam, tum 36 annos natam, invasit, per aestatem durans; ac tabescere incipiebat. Exeunte vero autumno, dum aegra neque valde macilenta nec debilis valde erat; post somnum nocturnum mira accidit illi metastasis; nam ex improviso, magna anxietate, cum cordis quasi compressione, correpta est, facies pallida evasit, extremitates frigidae, pulsus admodum debilis, vixque loqui vel movere se potuit; de femore praecipue conquesta. Totum enim femur dextrum, tam tumidum ac rubicundum erat, ac si maxima pars sanguinis, una cum materia tumorum, ibi stagnâsset, evanuerunt enim interim tumores in collo. Medicus ordinarius summo mane

vocatus

§ 12. 2do, *In Inflammationem et Maturationem.*] Omnes conſentiunt hos tumores aliquando inflammari: Hic eſt ſtatus in quo Strumae phlegmonodes a WISEMANNO dicuntur; nihil hîc mihi praeter vulgaria ſymptomata tardae et diuturnae inflammationis, contingere videtur. An inflammatio in reſolutionem exeat, haud novi; exire vero in ſuppurationem, eamque difficilem et tardam, totus Medicorum chorus, duce CELSO, concedit. Auctor M. S. ſcribit, aliquando menſes, imo

vocatus eſt, qui rite ſymptomata perpendens, non auſus eſt preſcribere quid faciendum ſine conſilio ſenioris et in praxi magis verſati. Accerſitus eſt illico illuſtris —— Dum de natura et medela tam atrocis, et vix prius auditi morbi deliberarent, opinio junioris Medici erat, ut ſuſtineretur, et augeretur vis vitae lenioribus cardiacis, &c. et applicaretur femori cataplaſma emolliens: At requiri hic medicamentum magis efficax ſenſit ſenior; et veſicatorio ſatis largo inter ſcapulas applicato, medelam eſſe tentandam. Hoc factum eſt: et ſpatio viginti quatuor plus minus horarum aeque bene ſe habuit aegra, ac die ante paroxyſmum; paulatim enim evanuit tumor femoris, anxietas, &c. Sed tumores glandularum tam magni atque duri facti ſunt, ac unquam antea, ſecunda nec minus mirabili metaſtaſi. In hoc ſtatu permanſit aegra quatuordecem diebus, cum ſimilis paroxyſmus eam invaſit, ac iiſdem ſtipatus ſymptomatis, permanentibus tamen duritie et magnitudine tumorum colli. Unanimi tum conſenſu, methodus a juniori prius propoſita ſequuta eſt, et aeque felici ſucceſſu. At poſt tres ſeptimanas, in tertio paroxyſmo extincta eſt.

imo annos quandoque requiri ad maturationem perficiendam. Glandula aliquando ſuppuratur, intactâ cute, coloreve ejus mutato (*r*). Saepe vero inter ſuppurandum cutis afficitur, quando enim ſuppurari incipiunt Strumae color ejus primo in rubrum, deinde ad purpureum quaſi colorem ob inflammationem, quae in ea fieri incipit, mutatur (*s*). Glandula maturata molleſcit, ut par eſt, et in materiam fluctuantem mutatur, ſubſidente ſimul tumore (*t*). Tegumenta apoſtema tegentia tenuia fiunt (*u*). Aliquando glandulae perfecte ſuppurantur (*x*); aliquando vero ſuppuratio non niſi partialis eſt (*y*), idque licet fluctuatio praegreſſa ſentiebatur (*z*). LAZERME (*a*) ſequentia reliquit: " Dum ad ſuppurationem per-
" ducuntur (Strumae) aeger febre lenta, virium
" dejectione corripitur, facies pallore deſoedatur,
" perſeverante ſuppuratione maraſmus accedit." Quod de pallore faciei dixit, id falſum eſſe mihi retulit Medicus in praxi multum verſatus. Apoſtema

(*r*) Vid. Wiſem. 252. et Lazerme l. c. p. 136.
(*s*) Sic dicit M. S. Auctor.
(*t*) Vide Wiſem. paginam non memini.
(*u*) Auctor M. S. ſic dixit.
(*x*) Wiſem. p. 252.
(*y*) Author M. S. et Wiſem.
(*z*) Wiſem.
(*a*) Ibid. p. 137.

ma factum si non arte, tandem natura aperitur. Scil. consumpta cute, exit materia per foramina parva (*b*); quandoque non majora quam si aciculis facta essent (*c*). Sed haec foramina licet in initio parva tamen ob tegumentorum tenuitatem cito dilatantur, labiis interim pendulis et emortuis quasi existentibus; et sic tandem fit ulcus apertum, quod quoniam a maturatione glandularum evenit, ulcus glandulae, in sequentibus dicetur (*d*); de quo alibi opportunius agam.

An inflammata glandula unquam scirrhescit? Sic suaderet definitio Galeni (*e*); "Strumam, "scil. esse glandularum inflammationem indura-"tam;" quam tamen uti ineptam satis scio, sic falsam quoque esse, quoad glandulas lymphaticas, haud parum suspicor.

§ 13. 3tio, *In Scirrhum exquisitum.*] Tumor glandulae aliquando nec resolvitur, nec inflammatur, sed in Scirrhum exquisitum mutatur. Sequentia hoc suadent. Galenus (*f*) dixit,

(*b*) Wisem. p. 258.

(*c*) Wisem. p. 266. consentiente M. S. Auctore.

(*d*) Ulcus quoque quod a glandula cancrosa fit, eadem appellatione vocetur.

(*e*) De tumor. praeternaturalibus.

(*f*) Saltem Auctor definitionum, quae a nonnullis Galeno ascribuntur.

dixit, quod Struma eſt σαρξ ξηρα και δυσλυτος. PAULUS (*g*), ACTUARIUS (*h*), et poſt hos mille Medici non citantes, ideoque non hîc citandi, dixerunt, Strumas eſſe tumores ſcirrho induratos, vel ſcirrhoſas glandularum indurationes, aut ſimilia. PLATERUS (*i*) dixit, alias Strumas inflammari, alias ſcirrhoſas fieri. DOLAEUS rem acu tetigit, dicens, Strumas frequenter in ſcirrhum exquiſitum degenerare (*k*). Scirrhus, qui a Struma fit, ſtrumoſus dici meretur.

§ 14. *Exitus Scirrhi ſtrumoſi in Cancrum.*] De Cancro ſtrumoſo mentionem fecerunt PAULUS, AVICENNA, LOMMIUS, &c. "Aliae "(Strumae) indurantur, et poſt aliquod tem- "pus ſcirrhoſae fiunt, aliquando tamen calore "putrido fermentantur, emolliuntur, &c. Sed "poſtquam apertae fuerint, malignitatem ſuam "produnt, in ſpeciem cancri deſinendo (*n*)." "Scirrhi ſtrumoſi nonnunquam in cancroſa ul- "cera deſinunt;" inquit DOLAEUS (*o*). Egomet

(*g*) Lib. iv. cap. 33.
(*h*) Medic. lib. ii. cap. 12.
(*i*) Vid. in Heiſtero de Strumis.
(*k*) Encyclopaed. Chirurg. p. 613.
(*n*) Vide Wiſem. p. 252.
(*o*) Encyclopaed. chirurg. p. 614.

met cancrum a Struma ortum vidi. Neſcio an ſcirrhus ſtrumoſus, in cancrum tranſiens, phaenomena ulla ſibi peculiaria habet. Utcunque tandem emollitur glandula ſcirrhoſa, et in ulcus cancroſum degenerat *. Quum cancer exquiſitus, et nulla ſuppuratione benigniore comitatus, rariſſime, ſi unquam, in Strumis fieri videtur; et quum inter benigniſſimum glandulae ulcus, et maligniſſimum, infiniti ſunt gradus malignitatis intermedii; haud ſeparatim de his ulceribus agam, ſed pergam dicere pleraque phaenomena quae in iis vulgo notantur.

Prius vero dicendum antiquam diſtinctionem Strumarum in benignas, et malignas, ab AETIO factam, nulla ulteriore explicatione vel deſcriptione egere, quam quod Struma benigna eſt, quae minus de natura cancroſa habet; maligna vero, quae ad naturam cancri propius accedit. Aliae diſtinctiones nonnullis memoratae, vel ineptae vel inutiles ſunt, vel ad alia capita pertinent.

§ 15. *Ulceris glandulae phaenomena.*] IN genere ulcera haec mali moris ſunt, ſaepe corroſiva,

* Hoc in Wiſemanno alicubi legi.

roſiva, et ſerpentia, unde locus a Struma comprehenſus, locaque proxima aliquando exeduntur, notante LOMMIO. Juvenem vidi diu Strumis in collo vexatum, malum tandem ad faciem ſerpebat, quam adeo exederat, ut nihil fere de vultu humano in miſerrimo dignoſcere poſſes. Haud ergo mirandum eſt, ſi haec ulcera ad ſe invicem viam exedant (*q*), idque quandoque ſub cute (*r*): Omnia ulcera ſtrumoſa hyperſarcoſibus generandis prona eſſe dicuntur (*s*). Verum ſagax CULLENUS in Praelectionibus Clinicis dixit, ulcera haec aliquando fundos ſine ſordibus habere, nec ad generandos fungos, proclivia eſſe. In his ulceribus, tumores cyſtici aliquando inveniuntur. AETIUS definivit Strumas, "Carnes ſubcandidas, facile augeſcentes, in membrana contentas, &c (*t*)." PAULUS

(*q*) Wiſem. p. 258.

(*r*) Wiſem. p. 253. et 285. obſ. 7.

(*s*) Wiſem. p. 285. obſ. 7.

(*t*) Mirum eſt, quod Ruſſel merito celebris (de Tab. Gland. p. 17.) admitteret hanc definitionem Aetii vix intelligendam, pro deſcriptione accurata et perfecta omnium affectionum quibus glandulae ſubjiciuntur; malè factum eſſe facile probare poſſem: Eſtque una cauſa obſcuritatis, quae nimis ſaepe in illo libello, alias egregio, occurrit.

LUS dixit, omnes Strumas in propriis pelliculis contineri, quemadmodum ſteatomata, &c. Quamvis horum aſſertiones, in omni caſu, nequaquam verae ſunt; attamen demonſtrant tumores cyſticos in Strumis quandoque inveniri; praecipue quum confirmentur teſtimonio WISEMANNI dicentis Strumarum curationem, exempta cyſtide integrâ, felicius procedere (x), et memorantis caſum tumoris ſtrumoſi, in quo materia in cyſtide continebatur (y); et HALLERI (z) referentis, plures cyſtidas ſtrumoſas in ſtrumoſorum cadaveribus inventas, quamvis cum grano ſalis admittendae ſunt obſervationes illuſtris HALLERI *. His eò magis fides adhibenda eſt, quod cyſtides a natura morbi haud alienae ſunt.

QUANDO vero ulcus ad naturam cancri appropinquat, in eo vaſa (venae opinor) dilatari Strumiſque implicari dicuntur AETIO, quem ſequuntur LOMMIUS et WISEMANNUS. Ulceris ſtrumoſi maligni labra raro dura, tumida vel retorrida ſunt, ſicut in vulgaribus cancris obſervantur: Sed vulgo glabra, tenuia, nec multum tumentia,

(x) Pag. 258.
(y) Pag. 257. et aliis locis.
(z) Pathol. Obſerv. obſ. 6.

* Non quod fidem viri celeberrimi, ſed quod eum experimenta feciſſe in cadaveribus non vere ſtrumoſis, dubitem.

tumentia, videntur (*a*). Cancer ſtrumoſus potius ad naturam ulceris phagedaenici accedit, ſi ex uno caſu quem vidi, et ex praemiſſis, rite judicare poſſum.

§ 16. *Materiae in Ulceribus et Tumoribus.*] Materiae in tumoribus et ulceribus glandularum lymphaticarum ſtrumoſis, uti variae, ſic aliquando prorſus ſingulares ſunt. Pus in his ulceribus inventum, raro laudabile, ut aiunt, videtur. Ichor tenuis, acris, nec vero ſine aliqua purulentia ſimul comitante, ſaepe effunditur: Materia coagulo lactis (quoad habitum externum) ſimilis, frequens eſt in ulceribus ſtrumoſis, et iis fere propria. Aetius primus hanc materiam notaviſſe videtur, dicens, Strumas eſſe carnes ſubcandidas. "Vulgo "videre eſt," inquit Wisemannus (*b*), "glan- "dulas colli minores conglobatas, diſtendi et "impleri coagulo albo, coagulum lactis adeo ex- "quiſite referente, ut non facile inter ea diſtin- "guatur." Materia haecce ſub forma ramentorum fibroſorum quandoque excernitur. Tumore ſuppurato, ait Lazerme (*c*), purulenta materia, viſcida, pallida, albida, aut flava, ſine foetore excernitur. Eandem materiam hodie, in ſtrumoſis tumoribus

(*a*) Hoc ex Cullen. Praelect. didici.

(*b*) P. 248. (*c*) L. c. p. 136.

tumoribus et ulceribus frequentem esse certe scio. Postquam cicatrix strumoso ulceri inducta esset per mensis spatium, tamen flatulentia in loco ulceris deprehensa est medicamentis cedens (*d*). HALLERUS dicit, se inveniisse aerem in glandula thyroidea strumosa (*e*).

IMO cartilagines strumosae memorantur. Sic in Struma inventa est cystis, ovum gallinae magnitudine aequans, quae plena erat scirrho cartilaginoso, si in cadavere vere strumoso experimenta fecit HALLERUS (*f*). Idem nuper dixit Strumarum membranas frequenter in naturam cartilagineam abire (*g*). Imo idem aliquid ossei in Strumis se vidisse narrat (*f*). Saepe concrementa dura, terrestria vel lapidea in Strumis inveniuntur. Sic PARAEUS (*h*), GLISSON (*i*), aliique, materiam quam gypseam (*k*) vocant in Strumis invenerunt,

(*d*) Vid. Wisem. p. 276. obs. 6.
(*e*) Obs. Pathol. obs. 6.
(*f*) Obs. Pathol. l. c.
(*g*) Elem. Physiol. p. 21.
(*h*) Liv. viii. chap. 21. p. 175.
(*i*) L. c.
(*k*) Qualis consistentiae vel coloris esse volunt, hanc materiam gypseam, me ignorare fateor. Quum vero gypsum hodie inter principes chemiae, corpus est compositum ex acido vitriolico, et terra absorbente calcaria, et quum tale corpus in corpore humano nondum repertum sit; verbum illud gypseus ex Pathologia exterminari debet, alias confusionem non necessariam facturum.

nerunt. WISEMANNUS materiam fabulosam in tumoribus vesicularibus invenit (*k*). Et HALLERUS materiam consistentiae lapideae, cretaceam, et fabulae instar duram vidit (*l*).

IDEM materiam albam, callosam, pinguem, lardo similem, in glandula thyroidea se inveniisse memorat. Vermiculos, aut monstri genus aliud, in Strumis inventos esse, commemorat GLISSONIUS (*m*).

§ 17. PLERASQUE glandulas lymphaticas, quas Anatomici hactenus in corpore humano clare demonstrarunt Strumis aliquando laborâsse, sequentes observationes demonstrant (*n*).

HIC vero monendum est me plures observationes non hîc attuliisse, quia suspicabar earum Auctores experimenta in corporibus vere strumosis non cepisse. A WISEMANNO (*o*) juxta malas, (in the

(*k*) P. 279. obs. 10. (*l*) In Pathol.

(*m*) P. 383. de hepate.

(*n*) Ne vero parum valeat nostra auctoritas, ecce interim verba Wisemanni (p. 250, 251.) "Nor is the mesentery "alone, (affected), but all the conglobated glandules par- "take with it." Et Halleri (Annot. ad Boerhaav. Praelect. in Instit. Medic. vol. 1. p. 579.) "Morbus Regius est quan- "do glandulae pene totius corporis humani intumescunt, "&c."

(*o*) P. 251. 252.

the balls of the cheeks) et zygomati incumbentes juxta oculi canthum, et ſuperius quam glandula parotis extenditur, glandulae lymphaticae ſtrumoſae viſae ſunt. In genis Strumas vidit idem (*p*). In M. S. dicitur glandulas lymphaticas in facie Strumis ſaepe occupari. Glandulas lymphaticas parotidi incumbentes multi mecum ſtrumoſas viderunt.

Si quae ſint glandulae lymphaticae in maxilla inferiori ſupra ejus marginem, qui ad ſymphiſin tendit, eae in juvene iſto, cui Strumas a collo ad faciem ſerpſiſſe dixi, afficiebantur. WHARTONUS (*q*) ait Strumas externas frequentiſſime occurrere ſub maxillis. Glandulas infra, et juxta glandulas parotides, et eas quae verſus muſculum et proceſſum maſtoideum extenduntur, affectas vidi. Strumas a nucha lateris ſiniſtri, ad dextrum latus trachiae arteriae extenſas, vidit WISEMANNUS (*r*).

§ 18. In collo Strumas ab HIPPOCRATE (*a*), CELSO, &c. memoratas invenio. Omnes glandulae lympha-

(*p*) P. 282. obſ. 4.

(*q*) Adenogr. cap. 40. p. 258. Per Strumas vero hic uti plerique jam citandi tumores in § 9. deſcriptos intelligit. Vid. Wiſem. p. 282. obſ. 3.

(*r*) P. 282. obſ. 4.

(*a*) Saltem ab auctore qui lib. de glandulis ſcripſit.

lymphaticae ad latera colli, et ad ejus anteriorem partem, a maxilla inferiori ad claviculas uſque collocatae, ſuperficiales; et profunde ſitae, juxta venas, nervos, arterias, pharyngem et laryngem; omnes inquam hae glandulae ſtrumoſae viſae ſunt: Nam AETIUS dudum docuit, "Quaſ-"dam (Strumas) in anteriori colli parte, quaſ-"dam ab altera ipſius parte, quaſdam ab utra-"que, oriri." Glandulae in collo ad claviculam uſque a WISEMANNO (*b*) ſtrumoſae inventae ſunt.

"QUÆDAM Strumae (pergit AETIUS) circa "magna ac nobilia vaſa penitus inſident.—Stru-"mae penitus incidentes,—vaſa nobilia, venas "ſcil. jugulares, et arterias carotidas radices ha-"bent."

NARRAT GALENUS (*c*), quod ipſe in puero obſervavit loquelam abolitam, dum imprudens Chirurgus Strumas in profundo ſitas exciſurus, et haemorrhagiam metuens, non diſcindebat membranas ſcalpello, ſed unguibus lacerabat, ſimulque malâ fortunâ diſtrahebat nervos recurrentes. WISEMANNUS denique ait, ſe vidiſſe omnes glandulas conglobatas colli (Strumis) tumidas.

§ 19.

(*b*) P. 251, 284. obſ. 6.
(*c*) De locis affect. lib. 1. cap. 5.

§ 19. A collo glandulae ſtrumoſae in thoracem deſcendunt, notante WISEMANNO (*d*). Glandulas ſtrumoſas in aſperam arteriam TULPIUS (*e*), in oeſophagum vero HILDANUS (*f*) prementes, vidit. Glandulas bronchiales infiniti fere ſtrumoſas obſervarunt et viderunt.

§ 20. TUMOREM ſtrumoſum ſub clavicula vidiſſe ſe narrat RUSSEL (*g*). In lateribus et mammis feminarum viſas eſſe ſtrumas CELSUS perhibet. In lateribus vidit ALEXANDER BENEDICTUS (*h*) aliique; juxta et inter mammas Strumas deſcripſit WISEMANNUS (*i*). Strumas ſupra muſculum pectoralem TURNERUS; nodos duros hic illic per abdomen inaequaliter tumidum, vidit RUSSEL (*k*).

(*d*) P. 251.
(*e*) Obſ. med. lib. 1. cap. 46. p. 88.
(*f*) Ibid. obſ. 35.
(*g*) Ibid. p. 102.
(*h*) L. c.
(*i*) Locus excidit; vide vero interim p. 251.
(*k*) Ibid. p. 186. Wiſemannus dudum tumores tales in abdomine vidit. Vide p. 152. ubi haec ſingularia occurrunt: "But whether that (glandule) was part of the parotis or "not, the others were certainly adventitious which appear-"ed upon the ſides, back, breaſt, belly, ſhoulders, arms, "and thighs, ſcattering up and down, ſome ſuperficial in "the ſkin, others deep." An vera eſt ſententia Wiſemanni glandulas haſce omnes adventitias fuiſſe?

§ 21. HIPPOCRATES (ſaltem Auctor lib. περὶ ἀδένων) CELSUS, GALENUS, aliique fere infiniti, Strumas in axillis occurrere notaverunt. Dum glandulae axillares afficiuntur, ſaepe non tamen ſemper (uti e caſu qui apud RUSSEL de Tab. Gland. p. 186. apparet) artus ſuperiores ulcere, aut carie, aut utriſque laborant. Totum brachium cum ſcapulis ſcrofuloſum ſe deprehendiſſe narrat DOLÆUS (Encycloped. chirurg. p. 606.). Haud tamen affirmarem ſcrofulas hîc memoratas veras fuiſſe glandulas. Glandulas ad bicipitem muſculum prope flexionem cubiti ipſe cum aliis ſtrumoſas vidi. Verba WISEMANNI (*l*) huc transferri merentur: "Beſides all theſe glandules which are "naturally born with us, there are many more "which do ariſe upon the occaſion of this diſ-"eaſe in the ſeveral interſtices of the muſcles, as "I have ſeen in both the arms of one perſon "now under my cure, near the *muſculus biceps*. "The like happens to others in the legs and "feet; alſo the very fingers and toes." An glandulae naturaliter in omnibus his locis locantur, videant Anatomici. TURNER tumores ganglionodes ſtrumoſos in brachiis et carpis vidit.

§ 22. CIRCA viſcera abdominalia tumores glandularum lymphaticarum ſtrumoſi reperti ſunt. In

(*l*) P. 251.

In hepate et ſplene, circa haec viſcera et pancreas alias ſanum glandulae ſtrumoſae inventae fuiſſe dicuntur (*l*).

GLANDULAS meſentericas ſtrumoſas obſervarunt, et deſcripſerunt infiniti fere Auctores. Inſtar omnium vero ſit illuſtris PATAVINI MORGAGNI auctoritas. Sunt qui affirmant glandulas ſtrumoſas vix externe apparere, quin meſenterium eodem tempore in ſuis glandulis affectum ſit. Huic vero aſſertioni contrarius it RUCHLERUS (*m*), et merito uti videtur. Nam ex diſſectionibus, paucis ſemper ſi ſtrumoſorum numerum reſpicias, nil univerſale concludi debet; praeterea ii ſoli in quibus morbus multum proceſſerit, inciduntur. Hîc memoratu digniſſima eſt obſervatio, quam ab ALEXANDRO MONRO juniori, ob artis ſuae peritiam, aliaſque animi dotes eximias jure celeberrimo, accepi, ſcil. meſenteria puerorum, quos Berolini Bataviaeque diſſecuerat, glandulas ſuas multo ſaepius tumidas et obſtructas(*n*) habere, quam eorum quos in Britannia incidit. Hac enim monemur, ne quae exteri Anatomici de affectionibus glandularum lymphaticarum

(*l*) Vid. Gliſſ. l. c. et Wiſem, p. 251, et 252. Quamvis multum ſuſpicor tubercula iſta in viſceribus inventa glandulas lymphaticas non fuiſſe.

(*m*) Vid. Heiſt. l. c.

(*n*) Materia in his glandulis caſeo vetuſto ſimilis, non inflammabilis tamen, erat.

carum meſenterii dixere, in noſtris regionibus, vera eſſe putemus.

§ 23. GLANDULAS iliacas ſtrumoſas viderunt WISEMANNUS (*n*) et HALLERUS (*o*). In caſu quem ex WISEMANNO jam citavi, glandulae ſacrae affectae fuiſſe videntur.

IN inguinibus Strumas aliquando conſpici, omnes fere Medici poſt HIPPOCRATEM (*p*) et CELSUM (*q*) notaverunt. Exempla praebet WISEMANNUS; non memini vero obſervationem legiſſe affectionis harum glandularum in qua aut femur, aut crus, aut pes, vel ulcere vel carie praegreſſis, non laborabant.

APUD WISEMANNUM memoratur nodos ſcirrhoſos in inguine per femur et crus continuatos fuiſſe (*r*); in pede autem ejuſdem artus erant ulcera et caries. An unquam aliter contingit?

§ 24. SED omnes glandulae conglobatae non aeque frequenter afficiuntur. Colli glandulae ſaepiſſime omnium afficiuntur: Docentibus HIPPOCRATE,

(*n*) P. 239. obſ. 12.

(*o*) In Annot. ad Boerhaav. proel. in inſtit. medicas, tom. 1. verſus finem.

(*p*) Lib. de gland.

(*q*) L. c.

(*r*) Wiſeman. p. 312.

POCRATE (*e*), CELSO (*f*), et tota Medicorum turba. Quantum novi collum saepius, in his regionibus saltem, quam aliae omnes partes simul, afficitur. Inter internas vero mesentericae, deinde bronchiales glandulae, saepissime afficiuntur.

§ 25. ERGO pene omnes glandulae lymphaticae aliquando Strumis laborâsse visae sunt. Contra, affirmo glandulas conglomeratas in Strumis rarissime primario affici. Hoc verum esse sequentia mihi persuadent. 1mo, Observationes satis accuratas sententiae nostrae contrarias nondum mihi videre contigit. 2do, CULLENUS, rerum hujusmodi idoneus arbiter, se glandulam conglomeratam primario in Strumis affectam, nunquam observâsse, dicit. 3tio, Multorum Medicorum opinio est, Strumam glandulas lymphaticas praesertim occupare (*a*). Hanc opinionem ut amplecterer, CULLENI Prael. Clin. mihi in causa primum fuerunt. Si vero quis contra me observationes proferat, caveat, 1mo, Ne vicinitate sola ab ulcere carie, &c. glandula conglomerata afficiatur; sic enim talis glandulae affectio non Struma ipsa, sed ejus effectus erit. 2do, Ne glandulis lymphaticis

(*e*) Lib. de gland. (*f*) L. c.

(*a*) Hae erant rationes cur glandulas conglomeratas in definitione omisi.

lymphaticis affectis, et lymphae absorptione impedita, tunc demum glandula conglomerata, lymphâ in ea stagnante, afficiatur. 3tio, Ne omnem glandulae conglomeratae tumorem pro Struma habeat. 4to, Si in strumoso glandula conglomerata affecta sit, in causam stricte inquirat, nam mille praeter habitum strumosum causae talem glandulam afficere possunt; praecipue quum Struma ipsa a juventute in annum septuagesimum protracta fuisse, legitur. 5to, Anatomiam praecipue glandularum bene intelligat; in Anatomia enim saepe peccatum est. Experimentis cum his cautelis factis, nemo me lubentius cedet. Cryptarum affectiones in Strumis, quum rarae et plerumque leves sint, sicco pede praeteribo (*a*).

§ 26. Sunt et ulcera quoque quae in locis contingunt, ubi glandulae lymphaticae nondum clare demonstratae sunt: Quae quoniam cum affectionibus

(*a*) Si quis velit cognoscere quot glandulae lymphaticae simul in uno aegro afficiuntur, Wisemannum * et Dolaeum † consulat. Exempla sinuum et ulcerum mirabilium, apud Wisemannum passim ‡ videri possunt. Sinus hi a glandulis suppuratis, et pus per telam cellularem effundentibus, nascuntur.

* P. 251. et 252. † Encyclop. Chirurg. p. 606.

‡ Praecipua sunt in p. 267. obs. 3. p. 280. obs. 11. p. 282. obs. 4. p. 284. obs. 6. p. 239. obs. 12.

fectionibus antea pertractatis saepe complicantur, et cum iis quoad aetatem, regiones, loca, tempestatem, &c. congruunt, merito strumosa dicenda sunt. Quoniam vero haec vestigia glandularum lymphaticarum non semper sequuntur, non inepte *ulcera vaga* dici possint. Sequentia in Praelectione quadam Clinica prolata, huc pertinent. " Una " Strumae species sedem habet in membrana cel- " lulari inter musculos, haec est tumor fixus, et " locari videtur juxta ossa, quae saepe ca- " riosa reddit erodendo periosteum." Ulcera haec incipientia sic se habent. Juxta ulcus undique adjacet tumor fere indolens, ruber, non multum elevatus, nec inaequalis. Ulcus ipsum angustum plerumque est, et in angulos seu rimas huc illuc excurrit. Effundit autem plerumque materiam albam coagulo lactis haud absimilem. Materia labiis ulceris haec adhaeret, ibique alba conspicitur, dum materia serosa fluida perpetuo ab ulcere effunditur. Plerumque vero aliquid puris, sed raro laudabilis, simul effluit. Si diu permanserit ulcus, ita ut telam cellulosam multum exederit, tandem sanatum, cicatricem turpem, cavam, scil. varie striatam, et rugosam relinquit. Tale ulcus vidi in primo internodio minimi digiti. Vidi quoque hominem cui femur dextrum undecem talibus ulceribus, juxta se invicem successive comparentibus,

rentibus, depaſcebatur. Crus ejus dextrum poſtea extenuatum manſit. Haec ulcera in brachiis, ulnis, carpo, metacarpo, femoribus, cruribus, et pedibus ſaepiſſime, in trunco corporis rarius, in capite vero omnium rariſſime, conſpiciuntur (*a*). Haec ulcera quandoque ſine tumore glandulae lymphaticae, qui Medico ſentiri poſſit, comitante, contingunt.

§ 27. Sunt quoque alii tumores, fungos articulorum (*the white Swellings*), quodammodo referentes, qui ob eaſdem rationes ac ulcera in § 26. inter Struniarum ſpecies vel ſymptomata annumerandi ſunt. Hos obſervavi immobiles; non circumſcriptos, imo diffuſos admodum; parum dolentes; veſtigia digiti impreſſi non retinentes; articulum (quoties eum afficiunt) longe occupantes, ita ut anchyloſes aliquando inducunt. In cubito frequentiores quam alibi contingunt (*b*). Tales tumores in utroque mulieris ſtrumoſae cubito vidi; ad medias vero ulnas extenſi fuerunt; et in ſinu cubiti unius glandula lymphatica tumefacta erat.

§ 28. Musculi quoque in Strumis tumefieri, indurari, et rigere dicuntur. Muſculus thenar in

(*a*) Hoc ex Wiſemanni hiſtoriis et Medico Practico didici.

(*b*) Obſervante cl. Culleno in Prael. Clin.

in puero ſtrumoſo, ſic affectus fuit; nec tumorem a muſculo diſtinctum, (quod ſemper vult fieri WISEMANNUS) ſentire potui.

§ 29. OSSA ipſa a Strumis haud immunia eſſe notiſſimum eſt. Caries in Strumis, affectio frequentiſſima, ſemper fere ab ulceribus iſtis vagis, oritur.

§ 30. SED multo gravius malum eſt, quando oſſa ab interioribus partibus afficiuntur, ſpina ventoſa (*a*), ſcil. quam ſpeciem vel ſymptoma Strumarum eſſe eaſdem ob rationes ac ulcera § 26. exiſtumo. Sunt qui dicunt ſpinam ventoſam Strumarum et nullius alterius morbi ſpeciem eſſe: Sed hoc minime admittendum eſt, quoniam ab aliis morbis quoque naſcitur. Res haec mihi facile componi poſſe videtur: Nam optimam habeo auctoritatem ſpinam ventoſam ſtrumoſam phaenomenis ſibi propriis ſtipari. Si autem hoc verum eſt, tunc aeque dictu incongruum foret, omnes ſpinas ventoſas eſſe ſtrumoſas, ac ſi diceres omnia ulcera (quia ulcera peculiaria in Strumis ſaepe videntur) ſtrumoſa neceſſario ſemper eſſe. Merito

(*a*) Per Spinam ventoſam idem ac Rhazes (vid. Friend. oper. tom. iii. p. 227.) intelligo.

dixit celeberrimus ALEXANDER MONRO senior (*b*), spinam ventosam strumosam, tanquam Strumam ossium considerari deberi, simul monens, eam plerumque tumores glandularum Strumosas comitari. Idem insuper ait, " In spina ventosa " strumosa tegumenta quasi spongiosa fiunt; tu- " mor indies increscit, et tandem species fluctu- " ationis vel potius diffusionis, cute simul rubente, " sentitur; tandem apertura facta ex osse materia " sero lactis haud absimilis, mitis, grumis com- " mixta, quae coagulo lactis similes e tegumen- " tis evenire videntur, perpetuo prodit. Divi- " sis integumentis, et osse probe aperto, nihil " praeter caro fungosa mollis in osse conspicitur, " nullo foetore interim emanante.

" Licet foramine parvo tantum in initio ape- " riatur spina ventosa, tamen tandem in ulcus la- " tum spinis ossis excrescentibus quasi cirum- " scriptum evadit. Ab his spinis cum vacuitate " ossis (si quidem unquam vacuum est) simul con- " junctis, nomen spinae ventosae ortum duxisse " videtur. In hoc malo ossis exfoliatio frustra " expectatur."

VIR quidam in praxi peritissimus, inter spinae ventosae strumaticae peculiaria phaenomena carnem fungosam recensuit. Dixit enim se in strumoso

(*b*) In Prael. Anat.

moso vidisse talem carnem ultra finem resecti ossis metatarsi ad semipollicem subito extrusam fuisse; ita ut caro insigniter elastica videretur.

Ill. Monrous in repositorio Anatomico skeleton pueri strumosi sexennii circiter conservat, in quo sequentia observanda sunt:

Media pars tibiae dextrae in parte anteriore, ubi nulli incumbunt musculi, leniter tumida, et scabra est: Condyla ossis humeri dextri eodem fere modo affecta sunt: Et duas tabellas ossis parietalis parum a se invicem, tam introrsum quam extrorsum separatas, et scabras, cernere licet. In his ossibus spina ventosa, *in primo* quasi *stadio*, constituitur. Os primum metacarpi sinistri; et ea extremitas radii dextri quae carpo committitur, usque ad ossis medium protuberantia, spongiosa et foraminulis plena, apparent: Radius autem juxta ejus caput maxime tumebat. Hoc *secundum* quasi *stadium* spinae ventosae erat. In eodem skeleto superiores extremitates utriusque ossis ulnae, anterior et media pars maxillae inferioris, et os frontis multum tumebant, et valde spongiosa, cum magnis aperturis, quarum margines asperae et inaequaliter eminentes fuere, apparebant. Nulli autem cancelli intus comparebant. Cavitates in ulnis adeo glabrae fuerunt, ut carnem fungosam continere viderentur. Tumor ulnae dextrae ad

medium

dixit celeberrimus ALEXANDER MONRO senior (*b*), spinam ventosam strumosam, tanquam Strumam ossium considerari deberi, simul monens, eam plerumque tumores glandularum Strumosas comitari. Idem insuper ait, " In spina ventosa " strumosa tegumenta quasi spongiosa fiunt; tu- " mor indies increscit, et tandem species fluctu- " ationis vel potius diffusionis, cute simul rubente, " sentitur; tandem apertura facta ex osse materia " sero lactis haud absimilis, mitis, grumis com- " mixta, quae coagulo lactis similes e tegumen- " tis evenire videntur, perpetuo prodit. Divi- " sis integumentis, et osse probe aperto, nihil " praeter caro fungosa mollis in osse conspicitur, " nullo foetore interim emanante.

" Licet foramine parvo tantum in initio ape- " riatur spina ventosa, tamen tándem in ulcus la- " tum spinis ossis excrescentibus quasi cirum- " scriptum evadit. Ab his spinis cum vacuitate " ossis (si quidem unquam vacuum est) simul con- " junctis, nomen spinae ventosae ortum duxisse " videtur. In hoc malo ossis exfoliatio frustra " expectatur."

VIR quidam in praxi peritissimus, inter spinae ventosae strumaticae peculiaria phaenomena carnem fungosam recensuit. Dixit enim se in strumoso

(*b*) In Prael. Anat.

moso vidisse talem carnem ultra finem resecti ossis metatarsi ad semipollicem subito extrusam fuisse; ita ut caro insigniter elastica videretur.

Ill. Monrous in repositorio Anatomico skeleton pueri strumosi sexennii circiter conservat, in quo sequentia observanda sunt:

Media pars tibiae dextrae in parte anteriore, ubi nulli incumbunt musculi, leniter tumida, et scabra est: Condyla ossis humeri dextri eodem fere modo affecta sunt: Et duas tabellas ossis parietalis parum a se invicem, tam introrsum quam extrorsum separatas, et scabras, cernere licet. In his ossibus spina ventosa, *in primo* quasi *stadio*, constituitur. Os primum metacarpi sinistri; et ea extremitas radii dextri quae carpo committitur, usque ad ossis medium protuberantia, spongiosa et foraminulis plena, apparent: Radius autem juxta ejus caput maxime tumebat. Hoc *secundum* quasi *stadium* spinae ventosae erat. In eodem skeleto superiores extremitates utriusque ossis ulnae, anterior et media pars maxillae inferioris, et os frontis multum tumebant, et valde spongiosa, cum magnis aperturis, quarum margines asperae et inaequaliter eminentes fuere, apparebant. Nulli autem cancelli intus comparebant. Cavitates in ulnis adeo glabrae fuerunt, ut carnem fungosam continere viderentur. Tumor ulnae dextrae ad

medium

medium ossis extendebatur. Hoc spinae ventosae *stadium tertium* seu *ultimum* sit. Omnia ossa affecta erant albida et friabilia.

In ultimo spinae ventosae in mortem tendentis stadio, sequentia evenire nobis dixit cl. Monrous senior (*a*) : " Tandem forte aeger febre " hectica lenta corripitur ; oppressione accedente, " lectum petit ; bene dormit ; et sudat : Post " somnum levatur, sed paulo post affectiones ite- " rum redeunt. Sudor corpus debilitat, qui ta- " men nisi evacuetur, pulmones adoritur, aut in " alias partes delatus diarrhaeam, diuresin, aut pty- " alismum inducit : Unde marasmus arcessitur ; " et placida mors tandem scenam claudit."

§ 31. *De Functionibus laesis quaedam.*] Dum in functionum laesiones in muliere strumosa inquirebam, menses ei suppressos fuisse, inveni ; quamvis antequam strumosa esse coepit, naturaliter fluebant. Hoc me, ut conditiones mensium in mulieribus strumosis perquirerem, impulit ; Cullenus mihi ideo roganti retulit, mulieres strumosas menses obstructas saepe habere. Haec notari merentur, quoniam nullum novi qui ea observavit, excepto Dolaeo (*b*) sic dicente, " Men- " sium

(*a*) In Prael. Anat.
(*b*) Encyclopaed. Chirurg. p. 608.

" ſium obſtructiones Strumas facile comitan-
" tur——."

§ 32. PULMONES ipſos Strumis aliquando affici, omnibus notum eſt. Quantum novi quod in M. S. legi verum eſt, " Phthiſin ſaepe, febrim " hecticam fere ſemper hujus morbi (Strumae) " ſcenam claudere." Raro enim ſtrumoſi ſuffocatione, fame, aliave ejuſmodi morte, a Strumis ortis, necantur. Illis autem aſſentiri nolo, qui phthiſin in noſtris ſaltem, aliiſque Borealibus regionibus, a Strumis plerumque oriri dicunt. Haec ſententia hinc nata eſſe videtur, quod omnis obſtructio chronica et indolens, in pulmonibus, praecipue tubercula iſta, quae e pulmonibus quandoque rejiciuntur, pro Strumis habentur. Verum omnis obſtructio, vel tumor indolens, pro Strumis non habendus eſt, uti poſtea demonſtrabo. Hic nullus litibus conceditur locus ſi vera in M. S. dicuntur, " Phthiſin ſtrumoſam ſymptomatibus " ſibi propriis ſtipari."

PHTHISIS autem ſtrumoſa ab affectione glandularum lymphaticarum in pulmonibus oriri videtur: Ita ut, tumores in § 9. memorati, varia ſtadia habeant; Formationis, ſcil. reſolutionis, inflammationis, et inde maturationis, imo quandoque tuberculorum nomine ſcirrheſcunt: Et in his

his variis ſtadiis, variis ſymptomatibus ſtipantur; quin et varia haec ſtadia, quando plures glandulae affectae ſunt, ſibi invicem aliquando complicari videntur. Phthiſes ab hac cauſa ortae rariſſime ſanantur.

DIAGNOSIS.

§ 33. In Diagnoſi hujus morbi maxima occurrit confuſio, partim quod morbus ipſe ob varias quas inducit formas, haud ita facile diſtinguendus eſt; ſed praecipue (quod piget dicere) ob negligentiam eorum quorum erat ſigna tradere quibus natura et praeſentia morbi diſtingui poſſent. Ut vero huic incommodo, quantum in me eſt, occurratur, ſequentia proponam.

§ 34. Multi veterum ut et recentiorum Medicorum tumores ſtrumoſos § 9. deſcriptos, pro ſcirrhis habuerunt.

Ut hîc rite progrediamur, obſervandum eſt, per ſcirrhum vulgo intelligi quod Galenus de ſcirrho exquiſito dixit, "*Tumor*, ſcil. *praeter naturam, ſenſu carens, durus, et inſanabilis.*" (Vel ſaltem ſanatu difficillimus). Sit ergo haec ſcirrhi idea, et diſtinctio inter eam et tumores iſtos §. 9. facilis erit; niſi cum ſcirrhoſi ut in §. 13. re vera ſunt;

sunt; hi enim saepe sanantur; scil. saepe resolvuntur, idque interdum satis subito, uti dictum est, inflammantur et matureſcunt, unde cicatrice inductâ, saepe sanantur. Erit forte qui objiciat, scirrhos non necessario insanabiles, sed omnes tumores indolentes et duros eo nomine donandos esse: Esto: Tamen tumores strumosi aliquatenus mole aucti adeo molles et elastici, vid. § 9. sentiuntur, ut a duritie ista quae in scirrhis vulgo describitur multum recedunt. Scirrhus frequenter ab inflammatione praecedente fit, tumores isti § 9. nunquam. Eorum opinio mihi temeraria videtur, qui putant sufficere Strumas generali scirrhorum curatione tentandas esse.

§ 35. Sed eorum opinio adhuc magis a natura aliena est, qui omnem scirrhum pro Struma haberi volunt (*a*). Nulla enim major confusio excogitari potest, quam quae hac sententia huic morbo inferetur. Nam si ita res se haberet, tunc quae de aetate, regionibus, locis, tempestate, temperamento, et Strumarum praecedentibus, proposuimus, de scirrhis quoque praedicata forent; quum vero de scirrhis ea praedicari nullo jure possunt, omnem scirrhum minime quaquam Strumam esse concedi oportet. Concedamus vero omnem Strumam

(*a*) Vid. Franciſci Home Princip. Medic. p. 208.

mam esse scirrhum; tamen omnem scirrhum Strumam ideo esse, dicere absurdum est, quum Struma species tantum scirrhi foret. Omnem vero scirrhum, quoad curationem, quasi Strumam considerari deberi, id perperam esse dictum, si de curatione Strumarum esset agendum, demonstrarem.

§ 36. SUNT et alii tumores, qui plerumque in tela cellulari vel cryptis incipientes, perpetuo mole crescunt, ita ut aliquando magnitudine enormi sint, et penduli evadant. Hos, Anglice *Wens* dictos, Talpas vocabo. Talpas has, sub Strumarum vel Scrofularum nomine descriptas, aliquando invenio. Sed quantum de iis novi nullo meliore jure, quam omnis scirrhus, pro Strumis, habendae sunt. Ergo, iisdem rationibus innixus, eas a Strumarum speciebus rejiciendas esse puto. Facile cuivis patet, therapeusin Strumarum et talparum toto coelo differre.

§ 37. TUMORES isti § 27. fungos articulorum referentes, ab his distinguuntur; quoniam hi dolentiores, (saltem moto articulo) sunt, [illegible] longius plerumque quam illi [illegible] temporis in formando requirunt (quamvis quandoque satis subito inducuntur.)

ducuntur.) Hi genua (*a*), illi ulnas ſaepiſſime occupant. Illi his minus circumſcripti ſunt. Et denique, illi, ab habitu ſtrumoſo plerumque comitante, ſe manifeſtant.

§ 38. Apud Medicos haud rarum eſt, glandulas, praecipue lymphaticas, aliquo modo, vel quavis de cauſa, obſtructas, tumidas, ſed indolentes, ſtrumoſas vocari. Verum hoc aeque abſurdum eſt, ac omnem ſcirrhum eſſe Strumam, ſi cauſae a Strumis alienae antecеſſiſſe cognoſcantur.

§ 39 Vir in diagnoſi morborum accuratiſſimus mihi dixit, ſpinam ventoſam ſtrumoſam a venerea differre, quod in hac major inflammatio, et acutior dolor ſentitur; quod in illa tumor oſſium major ſit, et per majorem oſſis longitudinem continuatus. Si a priori ſemel liceat loqui ſpina ventoſa ſtrumatica, carne iſta fungoſa ſine foetore in oſſibus quandoque repertâ; et materia iſta coagulum lactis referente, cujus mentionem in § 30. feci, ulterius diſtingui poteſt.

Hæc ſunt quae interim de hoc morbo differere licuit. Lapſus, qui legentem haudquaquam effugient, non ſolum imbecillitati humanae, omnibus communi, mihi vero propriae, tribuendos velim,

(*a*) Vid. cl. Reimari Diſſert. Inangural. § 67.

lim, sed etiam temporis nimis iniquis finibus, librorum inopiae; et quod propriis experimentis fere destitutus, aliena, nimis saepe obscure tradita, in usum revocare coactus fui. Hae quoque erant causae cur GALENUM alioſque quos decuit, non citavi; cur aliquando in primis paginis quaedam promisi quae in sequentibus non perficiuntur; et cur a a § 26. ad finem, nullum Auctorem citavi, sed quae aut nova, aut parum animum adversa putavi, ea sola inseruí. Solum restat, ut omnibus, qui benignam opem contulerunt, gratias agam; praecipue vero Praeceptori meo GULIELMO CULLEN, cujus promptum auxilium, non solum in hac Dissertatione conscribenda, sed et in caeteris meis studiis promovendis, nunquam non expertus sum.

FINIS.

OMISSIO.

Ante multiplex, p. 1. l. 2. lege *plerumque.*

Med Hist
W4
E23
1758
F.1